



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An § qua ratione beneficia Ecclesiastica non nisi dignis, § idoneis sint conferenda, & de pænis illa conferentium indignis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO IV.

De iis, quibus beneficia conferri possunt, vel debent.

§. I.

An & quare beneficia Ecclesiastica non nisi dignis, & idoneis sint conferenda, & de penis illa conferentium indignis?

Indignos ad beneficia Ecclesiastica eos iudicat Pontifex in c. Grave 29. h. t. quos nec morum honestas, nec literarum scientia (quæ tamen juxta varia beneficia, varia est) commendat. Et his non vult in e. c. conferri beneficia, sub pena suspensionis, incurrenda ab inferiore Prelato, si post unam, aut alteram correctionem se non emendaverit, vel sub pena juxta arbitrium Pontificis distanda, si ipse Metropolitanus in hoc delinquat, prout confirmavit etiam Tridentinum Sess. 7. c. 3. de Refor. possunt quidem, si necessitas urgeat, & idonei reperiri non possint ad beneficia curata, idoneis etiam, & qui requisitam scientiam non habent, beneficia talia conferri, nisi tanta alicujus esset inscientia, aut morum perveritas, ut sine gravi scandalo assumi non possit, debet tamen talis, quantum commodè potest, dignum se & idoneum reddere, si promotus sit, aliàs ad fructus restituendos obligatus manebit: quicquid inò consultus est, ut in penuria idoneorum, uni plures Parochæ committantur, quibus

Fishing. Compend.

per se vel per Capellanum v. g. provideat, quam ut idonei assumantur.

§. II.

An licitum sit Beneficia conferre dignis & idoneis, prætermittis dignioribus vel dignissimis?

Epis copatus, & alia beneficia curata, quæ Ecclesiasticam jurisdictionem fori externi, vel non modici momenti administrationem annexam, habeat, non licet conferre minus digno, prætermisso notabiliter digniore, & aptiore, prout decidit Trident. Sess. 24. c. 1. & 18. De reform. ita ut graviter videatur peccare, qui contra agit: ageret enim talis in re factis magni momenti contra fidelitatem, qua ex officio, ob bonum Ecclesiæ, de dignissimo providere obligatur: & quamvis illicitum etiam sit simplicia & non curata beneficia minus dignis conferre, prætermittis dignioribus, præsertim si passim, & frequenter id fiat, vix videtur tamen talis graviter peccare, secluso speciali statuto, & si verè dignus ille sit, qui promovetur, cum ex tali collatione nemini grave damnum inferatur: quin etiam valde probabile est, quod non sit (cæteris paribus) gravis obligatio ad beneficia curata inferiora, parochialia v. g. promovendi digniores, aut dignissimos, sed nihil peccaturum conferentem, neque ad ullam restitutionem Ecclesiæ faciendam obligandum, si verè dignum ad tale beneficium promover, quamvis digniorem prætermiserit (nisi specialis obligatio, aut tacitum saltem pactum in casu collationis in concursu faciendæ,

Kkk

ad